

Notae in quaestionem quam vocant “ de actione in distans „

Author(s): Iosephus Chianale

Source: *Gregorianum*, Vol. 7, No. 1 (1926), pp. 44-72

Published by: GBPress- Gregorian Biblical Press

Stable URL: <http://www.jstor.org/stable/23569303>

Accessed: 27-06-2016 09:14 UTC

Your use of the JSTOR archive indicates your acceptance of the Terms & Conditions of Use, available at
<http://about.jstor.org/terms>

JSTOR is a not-for-profit service that helps scholars, researchers, and students discover, use, and build upon a wide range of content in a trusted digital archive. We use information technology and tools to increase productivity and facilitate new forms of scholarship. For more information about JSTOR, please contact support@jstor.org.



GBPress- Gregorian Biblical Press is collaborating with JSTOR to digitize, preserve and extend access to *Gregorianum*

Notae in quaestionem quam vocant “ de actione in distans „

Haec, quam tractandam aggredior, quaestio non levis est momenti, ut omnes norunt, non solum pro Physico et Metaphysico, sed etiam pro Theologo. Iamvero, in hac qualicumque disceptatione, non est mea intentio de tota hac re ample disputare; fuit iam hoc ab aliis factum, speciatim a Suaresio, et optime quidem. Quod intendo est, in particulari, considerare, in hac re, vim argumenti metaphysici, seu a priori.

In primis autem, duae sunt ibi notiones praeviae declarandae, quae multum iuvant, immo necessariae omnino sunt, ad perplexae quaestionis solutionem, ut iam ab aliis notatum fuit; et hae sunt notiones actionis, et indistantiae seu etiam praesentiae.

1. Per actionem ibi intelligimus actuale exercitium virtutis operativae ad extra. Loquimur proinde de actione transeunte, sive formaliter tali, sive virtualiter saltem tali. Nec refert quod disputetur inter AA., an praedicamentalis actio, cui respondet passio, sit in ipso agente, an in passo, tamquam in subiecto; quia solutio nostrae quaestionis non videtur ab illa quaestione necessario pendere, ut melius declarabimus infra.

2. Praesentiae conceptus, sicuti ceteri nostri conceptus, primo a sensu originem ducit, et versatur circa res extensas; deinde vero, per analogiam, ad res spirituales extenditur. Haec ergo praesentia, in rebus corporeis, dicit relationem indistantiae unius extensi ab alio extenso. Quae indistantia positive quidem exprimi potest per hoc quod duo extensa invicem indistantia dicuntur, si sint contigua, seu mutuo se tangant, in sua extremitate; negative vero, per hoc quod inter duo extensa non mediat aliud extensum, sive actuale, sive etiam mere possibile. Si enim inter A. et B. medium sit extensum C., non est dubium quin A. et B. distent inter se. Sed, etsi inter ea nullum actuale mediet corpus,

adeoque sit purum vacuum, ex eo tamen quod medium corpus C. potest naturaliter interponi, nemo est qui non dicat A. et B. invicem distare.

Scio non deesse qui hoc negent, quia, aiunt, possibilitas haec vel dicitur mere obiectiva, sita in non intrinseca repugnantia, in eo quod Deus possit inter duo extensa aliud extensum ponere, vel haec possibilitas intelligitur ut in potentia subiectiva alicuius entis actualis. Atqui primum nihil inservit ad casum, quia posset Deus inter duo corpora, etiam contigua, quodcumque ponere aliud extensum. Secundum vero dici nequit, quia nulla, in casu, potest potentia passiva realis assignari, ut per se patet. Verum, ni fallor, responsio facilis est. Si enim inter duo corpora aliud corpus potest, naturaliter et sine miraculo, interponi, certe illa duo corpora ab omnibus ut invicem distantia censentur. Potest quidem Deus inter duo corpora, etsi contigua, quodcumque ponere extensum, non tamen naturaliter, sed solum per compenetrations miraculum. Et confirmatur sic. Ponamus A. et B. invicem distare per medium C. Annihiletur, vel removeatur C., quin aliud medium subintret. Quaero iam, eruntne A. et B. aequae distantia ac prius, vel non? Si primum dicatur, habemus intentum. Si aliud, duo noto inconvenientia. Primum est quod, in casu, A. et B. nec distantia nec contigua dici poterunt. Non distantia, quia hoc negatur ab adversariis. Non contigua, quia non se tangunt. Atqui inter distantia et contigua non datur medium, loquendo de extensis in ordine actuali. Ergo vel unum vel aliud necessario competit extensis ad invicem comparate. Aliud inconveniens est, quod duo corpora distantia nequeunt amittere vel mutare propriam distantiam sine aliquo motu vel destructione unius saltem terminorum. Atqui, in casu, cessaret distantia sine motu vel destructione cuiuscumque termini¹.

Dices. — Si supponantur duo mundi extensi, nullam relationem inter se habentes, nisi ex parte originis (quod non evidenter metaphysice repugnat), constat corpus A. in uno mundo nullam habere relationem nec contiguitatis, nec distantiae, cum corpore B.

¹ Cfr. SUAR., *Metaph. Disp.* 30, sect. 7, n. 35, ubi hoc idem probat, eodem fere argumento.

in alio mundo. Ergo ad rationem distantiae requiritur ut quae non sunt contigua, in aliqua communi extensione ponantur.

R. — In illa hypothesisi adhuc duo illi mundi convenirent in ratione extensi. Atqui haec convenientia, posita non contiguitate eorum, videtur sufficere ut duo illi mundi dicantur invicem distantes, prout nempe distantia ad omnibus intelligitur. Et ideo etiam corpus A. in uno mundo, vere distaret a corpore B. in alio mundo.

Concludamus igitur; praesentia inter substantias corporeas tota concluditur in earum contiguitate seu mutua indistantia, saltem naturaliter loquendo.

3. Si vero sermo sit de rebus spiritualibus, vel inter se compare, vel in ordine ad corporeas substantias, earum praesentia certe exprimi nequit per localem indistantiam, vel per contactum quantitativum; quia cum sint extra genus quantitatis et extensionis, sunt etiam necessario extra genus sive distantiae, sive indistantiae, loci vel spatii. Exprimuntur tamen earum praesentia, quodam modo et analogice, per hoc quod dicimus adesse inter eas contactum quemdam virtutis et spiritualem.

Sunt tamen philosophi graves, qui rationem verae distantiae invenire volunt etiam in ipsis spiritibus, tum inter se compare, tum in ordine ad extensa. Ad hoc autem supponunt omnem substantiam finitam, eo ipso quod est finita, et intra hunc creationis ordinem contenta, necessario alicubi esse, et per se mobilem esse secundum locum. Supponunt praeterea, ubi, seu ubicationem, modum quemdam esse intrinsecum, vel spiritualem vel materiale (pro ratione substantiae cuius est modus), et per hunc modum substantiam habere ut formaliter occupet locum quemdam, determinatum et intrinsecum, qui nempe sit determinata pars spatii imaginarii. Ex quibus tandem merito concludunt ad rationem verae et mutuae distantiae plane sufficere ut sint duo termini positivi et finiti, sive corporei, sive spirituales, sive mixti, quorum unus sit ibi, alius illic, sive circumscriptive, sive definitive (cf. in hanc rem Suar., *Metaph. Disp. 51, De ubi*, ubi tota haec quaestio late tractatur).

Sed haec conceptio videtur, ni fallor, confundere ordinem rerum spiritualium et materialium, nec ullo solido fundamento inniti. Verum quidem est omnem, praeter Deum, substantiam esse *entitative* finitam; hoc tamen non prohibet quominus sola substantia

corporea sit *quantitative* finita et extensa, cui propterea unice competat, ratione suae quantitatis extensae, occupare loca vel spatia extensa. Neque ex hoc quod spiritus finitus contineatur intra ordinem creationis, sequitur eundem eo ipso contineri in loco vel spatio determinato. Nam « Universum potest nominare universitatem corporum tantum, vel universitatem tam corporaliū, quam spiritualiū. Accipiendo primo modo universum..., angelus non est pars huius universi, propter quod non oportet quod sit intra hoc universum, secundum aliquem situm, vel locum... Si autem universum accipiat pro universitate omnium rerum, sic angelus est pars universi, sed ex hoc non potest argui quod sit in aliquo loco definitive, immo potius oppositum. Cuius ratio est, quia inconueniens est differentias unius partis universi extendi ad omnes... Sed extra et intra, prope et longe, sub et supra, hic et ibi, et consimilia, sunt propriae differentiae universi corporei, ratione quantitatis. Ergo. Huic autem contradicit imaginatio... Sed in hoc non est rectum credere imaginationi, quia angeli abstrahunt a quanto, sicuti a quali (materiali) et ideo sicut non sunt albi aut nigri, calidi vel frigidi, sic non sunt magni vel parvi..., nec per consequens hic vel ibi ratione suae essentiae ». — Ita optime Durandus (*in I Sent.*, disp. 37; q. 1^a, *Utrum angelus sit in loco*).

Praeterea non videtur concedendum *ubi* esse modum intrinsecum rei locatae. Praeciso enim hoc modo, adhuc bene intelligitur corpus esse alicubi, ex hoc solum quod a determinato loco extrinseco circumscribitur; nec adhuc videtur sufficienter demonstrata necessitas ubi intrinseci.

Dices 1°. Hoc patet ex motu locali dupliciter: 1° quia, cum corpus, per motum, acquirit novum ubi, mutatur intrinsece. Ergo ubi est aliquid locato intrinsecum. 2° Praeterea, motus est in mobili, et est via ad terminum. Sed via et terminus nequeunt esse in distinctis subiectis. Ergo per motum localem acquiritur mobilis terminus intrinsecus, qui nihil aliud esse potest nisi ubi.

Ad 1^m R. — D. A. « Cum corpus per motum etc. », ita tamen ut, cessante motu, corpus remaneat intrinsece sicuti erat prius ante motum, C; ut remaneat intrinsece modificatum, N. et sub data dist. N. C^s et C^{tiam}. Non negamus, motum ipsum localem, quousque durat, esse continuam intrinsecam mutationem in mobili. Sed haec

non est quaestio. Quaestio est an, sicuti per motum incrementi et alterationis acquiritur mobili nova quantitas et qualitas, quae remanent in ipso, etiam cessante motu, sic aliquid simile contingat per motum localem. Hoc nos negamus, cum Aristotele et S. Thoma, nec Argumento dato probari videtur.

Ad 2^m R. — C. Mai. N. Min., vel Dist. min. — in motu quantitativo, vel qualitativo, C.; in motu locali, N. Non ergo assumi potest omnem motum necessario terminari ad aliquid mobili intrinsecum, sed debet probari, nec ullum inveni argumentum quo hoc efficaciter probetur. Quod si ubicatio in substantiis materialibus non importat nisi denominationem extrinsecam, quanto magis erit hoc dicendum de substantiis spiritualibus, quibus esse in loco nequit convenire nisi per accidens, quatenus nempe contingit eas esse praesentes corpori, cui per se convenit esse in loco. Non ergo est fingendum dari in angelis ubi quoddam spirituale, independens ab angeli operatione et unione cum corpore quocumque, et constituens eum quasi praesentem alicui parti spatii imaginarii¹.

Dices 2^o. Spiritus potest esse praesens in re corporea, et ab illa indistans, ut patet exemplo animae rationalis quae est in corpore, et angeli, qui est ubi operatur. Aliunde spiritus non est ligatus ad unum locum, sed potest mutare suam realem praesentiam, propinquitatem et distantiam quam habet ad alias substantias, ut rursus patet ex anima, quae cum motu corporis amittit vel acquirit novam distantiam vel propinquitatem. Ergo a fortiori hoc competit angelis, ut nempe possint se movere localiter. Sunt enim angeli substantiae viventes, et vere mutabiles, tum secundum electionem, tum « secundum locum, in quantum virtute sua finita possunt attingere quaedam loca, quae prius non attingebant », ut dicit S. Thom. (I, q. 9, a. 2). — Praeterea, motus localis angelo

¹ Card. Billot, loquens de hoc ubi, haec habet: « Mitto interim difficultatem circa intrinsecos ubicationis modos, quia *esse locutum* non est denominatio magis intrinseca quam *esse vestitum*; equis autem unquam concipiet hominem fieri formaliter vestitum per receptionem alicuius intrinseci modi vestitionis? Et augetur difficultas ex hoc quod, necessitate coacti, dicunt, modos ubicationis respicere spatium imaginarium immobile, cui faciunt praesentes res ubicatas: sed quis iterum intelliget, rem aliquam fieri realiter praesentem spatio quod a parte rei merum est nihil, et praeterea nihil? » *De Euch.* (q. 75, § 2, pag. 354, edit. 5^a).

convenit non solum per accidens, sed per se, ut patet cum angelus descendit de caelo ad terram, et iterum ascendit, vel solus vel cum animabus separatis, quas ad proprias concomitatur destinationes; in quibus casibus angelus movetur non tantum per accidens, sed etiam per se. Et ideo etiam quando angelus movet aliud corpus, ipse etiam se movet; quia impulsus ille, ab angelo acceptus, quo corpus movetur, non sufficit ad movendum ipsum angelum; tum quia nulla supponitur ligatio inter utrumque, tum quia posset angelus corpus illud proicere, ipso immoto manente. Deinde, etsi angelus moveretur per accidens, tamen adhuc deberet in se recipere mutationem, quia vere mutat formalem locum. Est ergo in angelo *ubi* intrinsecum, spirituale, quod subiectatur immediate in ipsa substantia angeli, nec pendet ab operatione angeli vel ab eius praesentia in corpore ullo, et ideo esset in angelo etiam ante creationem corporum. Per hoc *ubi* angelus habet ut sit quasi praesens in loco intrinseco, seu in determinata parte spatii imaginarii. Est etiam in angelo vera ratio motus localis et distantiae et propinquitatis ad alias substantias, sive corporeas, sive spirituales. Quod si quis curiosius quaerat an in una substantia sit unum *ubi* tantum, respondetur (utique ad bonam mensuram) tot esse *ubi*, quot sunt realia accidentia.

Sed, ut alia omittam, non apparet quomodo in hac sententia sufficienter salvetur essentialis distinctio spiritus inter et corpora. Quamvis enim AA. isti quantitatem spiritibus denegent, tamen eis concedunt multa quae per se et proprie non consequuntur nisi quantitatem, ut esse per se in loco, moveri in loco, distare a loco, etc. — Nec rationes adductae intentum probare videntur. Ex eo enim quod spiritus in re corporea praesens esse potest, non sequitur eum posse ab ea esse indistantem, si proprie loqui velimus¹.

¹ Dixi, «si proprie loqui velimus», quia indistantia dupliciter sumi potest; vel pure negative, quo sensu dicitur etiam de re, distantiae non capaci; vel quasi privative, prout nempe dicitur tantum de re, verae distantiae capaci. Iamvero patet angelos dici posse indistantes primo sensu, etsi improprie; non vero altero sensu, et proprie, in quo tamen ab adversariis sumitur.

Exemplum autem animae rationalis non iuvat. Quia, etsi anima sit in corpore quod informat, tamen ipsa, per se, nec est in loco, nec distat ab alia anima aut loco, nec per se localiter movetur, ut omnes concedunt.

Nam, sicuti distantia negat contiguitatem, sic indistantia dicit contiguitatem. Atqui spiritus nequeunt esse contigui cuicumque rei, ut per se patet, etsi possint esse intime praesentes. Ergo spiritus nequeunt esse indistantes proprie loquendo. — Nec ex eo quod angelus, cum in corpore agit, est ubi operatur, sequitur angelum esse in loco, nisi aequivoce, ut saepe dicit Angelicus (e. g., I, q. 52, a. 1, c, et q. 53, a. 1, c).

Et ex eo quod angelus non sit ligatus ad unum locum, non sequitur angelum posse se localiter movere, nisi aequivoce rursus, et per accidens, eo modo quo rem explicat Angelicus in q. 53 supra citata. — Est etiam angelus multiplici titulo mutabilis, non tamen in genere quantitatis, et qualitatis materialis, qualis cernitur in motu locali. — Demum, ne plura dicamus, quae quisque per se prosecui potest, est valde difficile capere necessitatem et finem ubicationis intrinsecae, in re materiali, et a fortiori, in re spirituali. Nam ubicatio haec, independens a quantitate et operatione, necessario explicatur per ordinem ad spatium absolutum, quod qua tale, nihil est, et nihil esse potest; quod non parum inconueniens esse videtur.

Quanto consultius et expeditius diceret quis, cum Aristotele et S. Thoma, cum spatium et locus non sint nisi dimensiones seu termini ambientium corporum, prout in eis spectatur capacitas continendi et circumscribendi corpora, ideo «esse in spatio et loco» nihil aliud dicere nisi habitudinem corporis alicuius, ut contenti, ad dimensiones ambientes et continentis. Quo posito, eo ipso cessabit necessitas appellandi ad ubi intrinsecum, et ad spatium imaginarium, ut ubicatio corporum explicetur. Patet enim, in praesenti ordine, singulas res corporeas, saltem qua partes totius mundi materialis, necessario esse, per suam quantitatem, in spatio aliquo et loco, etsi totus mundus materialis, qua totus, non sit de facto in spatio et loco ullo, non defectu sui, sed defectu dimensionum ambientium¹. Res autem spirituales, eo quod sint natura

¹ * Cum ex dictis quantitas sit ut quo formaliter habentur partes, quarum propria ratio in hoc consistit, quod aliae sint extra alias, id est positione et situ inter se distinguantur, constituendo dimensionatum quoddam in longum, latum, et profundum; statim apparet constitutum *spatii* esse ipsam dimensionem quantitatem. Dimensio enim et spatium profecto idem.

sua absolutae ab omni extensione, non habent, per se et proprie, quod sint in spatio et loco. Tamen, sicuti possunt in res corporeas operari, sic per contactum virtutis dicuntur esse praesentes in re corporea, et per consequens, esse in spatio et loco, modo tamen valde diverso ab eo qui corporibus per se convenit. Corpora enim, ut vidimus, non aliter possunt esse invicem praesentia, nisi per contactum quantitativum extremorum, seu per contiguitatem, et ideo naturaliter excludunt compenetrationem. Spiritus vero, si sint corpori praesentes, naturaliter sunt, secundum se, toti in toto corpore et in singulis eius partibus. Quae praesentia, etsi non sit compenetratio (utpote quae proprie nequit dici nisi de extensis ad invicem comparate), tamen est multo intimior et perfectior modus praesentiae, quam mera contiguitas. Deinde corpora sunt in spatio vel loco, ut contenta et circumscripta ab illo; contra spiritus, ut dicit Angelicus, non sunt ut contenti sed potius ut continentes, etsi eorum in loco praesentia semper sit finita, tum actu, tum potentia, utpote qui sunt virtutis finitae.

Restat igitur (ut concludamus hanc praevidiam et vere fundamentalem quaestionem), ut dicamus, si inspiciantur naturae rerum, et genuinus quem omnes habemus de distantia conceptus, nec nos sinamus imaginatione decipi, ad rationem distantiae per se requiri, ut sit duarum ad invicem extensarum substantiarum habitudo, qua ambae sint in diverso loco, localiter et non contiguae. Et ideo, inter spirituales substantias ad invicem, vel inter corpus et spiritualem substantiam, nulla dari potest ratio verae distantiae. Signanter autem dixi, ad rationem distantiae inter ipsas substantias extensas

sunt, et ita quidem ut dimensio (mere) imaginata faciat spatium imaginarium, dimensio vero realis spatium reale. Porro *locus* dicit determinationem alicuius portionis spatii per superficiem circumscribentem. Definitur enim ab Aristotele « superficies dimensionati continentis, immobilis, prima »; id est superficies primo et immediate claudens capacitatem certi spatii interclusi, eademque non materialiter accepta (qua ratione est mobilis ad motum ipsius corporis continentis), sed accepta immobiliter per certam distantiam a punctis fixis, puta a centro universi. Locus itaque est aliquid extrinsecum rei quae dicitur esse in loco; unde statim apparet quod *esse in loco* non est nisi resultantia ex coniunctione cum loco; apparet etiam esse omnino impossibile ut praesentia in loco habeatur formaliter per intrinsecum quemdam modum per se primo productum in subiecto ». BILLOT, q. 76, § 2, pag. 463.

requiri ut sint in loco localiter seu circumscriptive, atque adeo non solum cum sua quantitate et extensione, sed per suam quantitatem et extensionem. Quia, si, per miraculum, contingat substantiam aliquam corpoream esse quidem in loco cum sua quantitate et extensione, sed non localiter et circumscriptive, seu non ratione suae extensionis et per modum extensionis, iam nullam poterit per se habere distantiae rationem, cum quacumque alia substantia. Atqui hoc, ut ex fide tenemus, revera contingit quoad Christi corpus in SS. Eucharistia, quod propterea nequit dici a seipso distare, prout est simul in caelo et innumeris Eucharistiae locis, etsi sacramentales species revera distent, tum inter se, tum a Christi corpore quod est in caelo. Et hoc praecise, non est parvum veritatis signum, quod nempe in hac nostra conceptione, removeatur a mysterio veritatis magnum illud inconveniens, ut unum idemque Christi corpus, sine ulla sui multiplicatione, vel mutatione, dicatur a seipso distare!

4. Ex dictis de diverso praesentiae modo, iam patet quaestionem de possibilitate vel impossibilitate actionis in distans, proprie proponi non posse, nisi cum sermo est de agentibus corporeis. Et tota reducitur ad hoc, utrum possit corpus A. agere in corpus B. si inter utrumque corpus purum vacuum intercedat, — vel etiam, posito medio quodam corpore C., an possit A. agere in B. sine eo quod per prius agat in extremitate corporis C., quae sit corpori A. contigua, et quidem actione quae successive continuetur usque ad B. Duo ergo postulatur ut vitetur actio in distans: 1° ut detur medium quoddam interiacens inter agens et distans passum; 2° ut medium huiusmodi vere concurrat ad causalem influxum agentis in passum transmittendum. Quod cum fieri nequeat sine motu et tempore, tempus erit optimum, et forte unicum infallibile signum ad actionem in distans excludendam.

Cum vero sermo est de agentibus spiritualibus, quaestio de actione in distans, nobis quidem non videtur proponi posse. Cum enim talia agentia, proprie loquendo, nec distantia, nec propinqua, nec contigua dici possint ulli rei, quemnam sensum, quaeso, habere potest quaerere « an agere possint in distans »? Quod ergo unice de eis quaeri potest, est: « An ex earum in alias substan-

tias actione, sive hae sint spirituales, sive corporeae, legitime inferri possit earum in his substantiis intima praesentia ». Nec tamen hoc quaeritur, quasi talis praesentia sit praerequisitum ad actionem. Hoc enim rursus, etsi legitimum sensum habeat in agentibus corporeis, in quibus praesentia intelligitur adaequate constitui per contactum quantitativum, independenter ab omni operatione et in signo priori ad omnem operationem, — hoc, inquam, dummodo admittantur quae antea explicata sunt, iam nullum videtur habere sensum, cum sermo est de substantiis spiritualibus, in quibus substantialis praesentia unice concipi potest quasi sequi ex contactu virtutis et operationis.

Cum igitur, ut per se liquet, haec de spirituum in rebus praesentia nequeat a posteriori et per inductionem probari, merito quaeri potest, an saltem hoc possit a priori, et argumento metaphysico? Sed quoad agentia corporea utique utrumque quaeri potest, scil., an impossibilitas actionis in distans, a posteriori tantum et per inductionem, vel etiam a priori et argumento metaphysico demonstrari possit. Quamvis autem duae hae quaestiones minime convertantur, et valde differant inter se, tamen non est infitiandum, posse ex uno eodemque metaphysico principio, recte applicato, utriusque quaestionis solutio dari, ut ex sequentibus patebit.

5. Circa valorem probationis metaphysicae et a priori, vix necesse est notare duplicem dari praecipuam oppositam sententiam. Altera contendit omnem talem probationem, sub quacumque forma proponatur, esse illegitimam, et saltem latenter petere principium. Ita Scotus et eius sequaces; et, inter recentes, De San, et alii multi. Altera vero putat argumentum esse legitimum, saltem si sub debita forma proponatur. Auctores sunt noti; liceat tamen Angelici doctrinam, hac in re, paulo attentius considerare.

Iamvero S. Thomas sive in *Summa Theologica*, sive in *Libro Sententiarum*, sive in *Contra Gentiles*, ubicumque vult probare Dei omnipraesentiam et ubi-quitatem, semper hoc unico argumento utitur. Et 1° in I P. *Summae*, q. VIII, a. 1: « Oportet, ait, omne agens coniungi ei in quod immediate agit, et sua virtute illud contingere... Cum autem Deus sit ipsum esse per essentiam, oportet quod esse creatum sit proprius effectus eius... Esse autem est illud

quod est magis intimum cuilibet rei... Unde oportet quod Deus sit in omnibus rebus et intime ». Et *ibid.*, a. 2, Angelicus probat quod Deus est in omni loco « ut dans eis esse et virtutem locativam », et quod « per hoc (Deus) replet omnia loca, quod dat esse omnibus locatis quae replent omnia loca ».

2° In *I Sentent.*, dist. 37, q. 1, a. 1, posito principio « quod movens et motum, et operans et operatum, oportet simul esse », et « quod esse cuiuslibet rei est immediate a Deo », sic concludit: « Ex quibus omnibus aperte colligitur quod Deus est unicuique intimus, sicut esse proprium rei est intimum ipsi rei, quae nec incipere, nec durare posset, nisi per operationem Dei per quam suo operi coniungitur ut in eo sit ». Et *ibid.*, a. 2, haec habet gravissima verba: « *Essentia autem Eius (Dei), cum sit absoluta ab omni creatura, non est in creatura nisi in quantum applicatur sibi per operationem; et secundum hoc quod operatur in re, dicitur esse in re per praesentiam, secundum quod oportet operans operato aliquo modo praesens esse etc.* ». Et q. 2, a. 1, loquendo de Dei ubi-quitate, haec rursus universaliter pronuntiat S. Doctor: « *Spiritualis substantia, quae omnino absoluta a situ et quantitate est, habet essentiam non omnino circumlimitatam loco. Unde non est in loco nisi per operationem, et per consequens virtus et essentia eius in loco est* ». Bene notentur ista verba, in quibus explicite affirmatur in substantiis spiritualibus praesentia, non solum legitime concludi et illustrari per operationem, sed etiam proxime ac formaliter per eam constitui, tamquam effectus formalis a ratione formali. Si enim haec praesentia deberet praeconciipi ut iam formaliter constituta ante operationem ipsius substantiae spiritualis, ut multi volunt, hoc non alienum putantes a mente Angelici Doctoris ¹, tunc, quaero,

¹ Mentem Angelici Doctoris putant ex loco sequenti probari: « *Dupliciter dicitur esse aliquid alicubi: uno modo per suum effectum: et hoc modo Christus in quemlibet inferorum descendit; aliter tamen et aliter... Alio modo dicitur aliquid esse alicubi per suam essentiam. Et hoc modo anima Christi descendit solum ad locum inferni in quo iusti detinebantur, ut quos Ipse per gratiam interius visitabat secundum divinitatem, eos etiam secundum animam visitaret et loco. Sic autem in una parte existens, effectum suum aequaliter ad omnes inferni partes derivavit, sicut et in uno loco terrae passus, totum mundum sua passione liberavit* ». (III, q. 52, a. 2).

quemnam sensum habere possunt haec eiusdem S. Doctoris verba: « Unde (substantia spiritalis) non est in loco nisi per operationem, et per consequens virtus et essentia eius in loco est »? Et *ibid.*, q. 3, a. 1, sic concludit de angelis: « Relinquitur ergo quod angelus definiri vel determinari non potest ad locum aliquem nisi per actionem et operationem ». Et *ibid.*, a. 4: « Dicendum quod hoc non reputo inconueniens quod angelus sine loco possit esse et non in loco, quando nullam operationem circa locum habet: nec est inconueniens ut tunc nusquam, vel in nullo loco esse dicatur;

Supponunt Angelicum ibi aperte docere, animam Christi fuisse per effectum suum in quemlibet inferorum et tamen per suam essentiam non fuisse nisi in loco inferni, in quo iusti detinebantur. Ex quo pronum est inferre, ex mente Angelici, substantiae etiam spiritalis praesentiam in loco priorem esse actione, et ab actione vel virtutis contactu formaliter non pendere.

Sed haec interpretatio mihi videtur admitti non posse quia importat contradictionem. Quod Angelicus sibi ipse contradiceret, res est manifesta, ex dictis. Sed etiam philosophi qui hanc interpretationem admittunt. Ipsi enim affirmant quod tametsi operatio non sit formalis ratio praesentiae substantiae, sive corporeae, sive incorporeae, tamen praesentia substantiae agentis, ex eius in re aliqua operatione, legitime inferitur, et illustratur. Si ergo anima Christi immediate operata fuit, non solum in Limbo, sed etiam in aliis inferni partibus, oportet profecto ut eadem animae substantia, vel praesens fuerit in omnibus illis partibus, vel quod Auctoris principium non valeat universaliter. Quid ergo dicendum, nisi quod haec interpretatio, nec videtur esse secundum rei veritatem, nec iuxta mentem Doctoris Angelici? Reuera, notetur titulum huius Quaestionis 52, quae in 8 dispertitur articulos, non esse « De descensu animae Christi ad inferos », sed « De descensu Christi ad inferos ». Differentia, ut docet Angelicus in sequenti articulo, stat in hoc, quod Christus, ut nomen masculini generis, refertur ad hypostasim vel personam, sicuti neutrum nomen pertinet ad naturam.

Cum autem in Christo, propter hypostaticam unionem, duae sint naturae, divina et humana, sic etiam sunt in Christo, actiones divinitatis et humanitatis propriae, quae tamen omnes uni divino supposito semper attribuuntur. Ex quo fit ut, cum Verbum, quod semel assumpsit, nunquam dimisit, « in illo triduo mortis Christi, dicendum est quod totus Christus fuit in sepulchro, quia tota persona fuit ibi per corpus sibi unitum; et similiter totus fuit in inferno, quia tota persona fuit ibi ratione animae sibi unitae; totus etiam Christus tunc erat ubique ratione divinae naturae », ait Angelicus (*ibid.*, a. 3). Fuit autem corpus Christi in loco sepulchri per contactum quantitativum ad ipsum sepulchrum; anima vero eius fuit in inferno iustorum per contactum virtutis; et divinitas tunc erat ubique, quia ubique continuo operatur.

sicut etiam non est inconveniens quod nullo colore coloratus dicatur ».

3° In l. III *C. Gent.*, c. 68, eadem repetit quae iam saepe audivimus: « Movens et motum oportet simul esse ». « Praeterea: necesse est ut causa agens sit simul cum suo effectu proximo et immediato. In qualibet autem re est aliquis effectus proximus et immediatus ipsius Dei... Oportet igitur simul adesse Deum in omnibus rebus ». Et in fine eiusdem capituli sic concludit: « Deus autem indivisibilis est, quasi omnino extra genus continui existens »;

Dices: Haec quidem vera sunt; remanet tamen difficultas cur anima Christi, ab Angelico dicatur fuisse per essentiam in inferno iustorum tantum, fuisse autem per effectum in quemlibet inferorum.

Ad hoc dupliciter responderi potest: 1° forte ibi sermo est de effectibus quibusdam a divinitate quidem productis in illis inferni partibus in quibus anima Christi non fuit per essentiam; qui tamen effectus ipsi animae Christi tribuuntur per quamdam appropriationem, ratione tum meritorum eius, tum hypostaticae unionis, ut videtur tenere Medina, in hunc locum. Vel etiam 2° sermo esse potest de effectibus, non physicis et immediatis in re corporea, sed mere intentionalibus, qui per se physicam causae praesentiam non inferunt, ut notavit Suarez, in hunc locum. Et haec revera videtur esse Angelici intentio, quia post illa verba « Sic autem in una parte (inferni) existens, effectum suum aliquantulum ad omnes inferni partes derivavit », immediate addit, ad rem melius declarandam, « sicut et in uno loco terrae passus, totum mundum sua passione liberavit ». Atqui constat Christi passionem causam esse moralem et meritoriam redemptionis totius mundi. Praeterea illa ipsa verba « effectum suum aliquantulum ad omnes inferni partes derivavit », videntur non obscure innuere agi ibi, vel de effectibus moralibus tantum, vel de effectibus physicis quidem, a causa tamen, non immediate, sed mediate solum operante. Audiatur in hac re Caietanus (in I P., q. 52, a. 1): « ea, quae dixit » (S. Thomas) in 3 P. de anima Christi, ideo dixit, quia in una parte inferni immediate operari ipsam potuit, in aliis vero mediate... quia, mediante effectu, quem in limbo patrum habuit, ad alios descendit, quoniam per virtuosum descensum ad limbum patrum, et damnatos confutavit, et purgandis spem dedit, etc. ut ex verbis S. Thomae, in responsione ad 3^m ibidem patet. Potest quoque, in uno tantum inferni loco fuisse animam Christi, secundum substantiam, intelligi alia ratione; quia scilicet ab aliis partibus erat distans per accidens, modo praeexposito, et tamen, divinitatis virtute, effectum in illa loca faciebat ».

Haec igitur mihi videtur verisimilior huius S. Doctoris testimonii interpretatio; tum quia magis cohaerere videtur cum ipso textu, collato cum sequenti articulo; tum quia magis consentanea apparet cum constanti eiusdem Doctoris doctrina.

unde non determinatur ad locum vel magnum, vel parvum, ex necessitate suae essentiae, quasi oporteat eum esse in aliquo loco, quum ipse fuerit ab aeterno ante omnem locum; sed immensitate suae virtutis attingit omnia quae sunt in loco, quum sit universalis causa essendi, ut dictum est. Sic igitur ipse totus est ubicumque est, quia per simplicem suam virtutem universa attingit ».

6. Iamvero, si dicatur metaphysicum hoc argumentum, sub quacumque forma proponatur, non valere, et petere principium, tunc duplex hoc sequetur magnum inconveniens: 1^m quod Angelicus Doctor deceptus fuerit, in re tam magni momenti, qualis est probatio divinae omnipraesentiae et ubiunitatis. Non enim, ut dixi, alia adducit argumenta ad hanc doctrinam stabiliendam. 2^m inconveniens stat in hoc, quod poterit forte adhuc, a posteriori et per inductionem, sufficienter probari repugnantia actionis in distans quoad agentia corporea, sed erit valde difficile, et forte impossibile, Dei omnipraesentiam et ubiunitatem, per rationem demonstrare; ne quid dicamus de angelorum praesentia in rebus et locis.

Dices, hoc non sequi, si nempe inductioni argumentatio Eximii Doctoris addatur. Quamvis enim inductio quae per experientiam habetur, non valeat pro omni genere causarum, tamen id etiam efficaciter colligi potest. Vel enim praedicta necessitas coniunctionis agentis cum effectu oritur ex limitatione virtutis in agentibus quae experimur; vel fluit praecise ex generali ratione agentis ut sic. Atqui non primum. Ergo secundum (cfr. Suarez, *Metaph. Disp. 30*, sect. 7).

Sed responderi potest, hanc divisionem non esse adaequatam; potest enim dici hanc necessitatem coniunctionis in agentibus quae experimur, forte fluere ex ratione agentis corporei seu extensi ut sic: quo posito, potest plena ratio reddi cur omnia talia agentia, etsi validissima, nil omnino agere possint, sublato immediato contactu quantitativo cum aliquo passo. Et sic remanebit adhuc quaestio decidenda, an omne agens, etiam spirituale, finitum vel infinitum, agere possit, non quidem in distans, sed an, ex ratione agentis qua talis, sequatur intima praesentia agentis cum suo immediato effectu. Et dico, cum hoc nullo modo a posteriori probari possit, si nec a priori constare potest, valde difficile fore et forte

impossibile, per rationem, Dei omnipraesentiam et ubiuitatem demonstrare, ne quid dicamus de angelorum praesentia.

Scio quidem multos appellare ad principium quod, cum « praesentia in rebus de se nullam dicat imperfectionem, ideoque sit perfectio pura et simplex, iam sequitur eam de Deo esse formaliter praedicandam, et quidem sine limite, et hoc etiam praecisa Dei operatione in rebus ». Sed vereor ne hoc ipsum sit probatu difficile, et forte impossibile. Nam, concesso quod « praesentia in rebus » de se non dicit imperfectionem (secus de Deo non posset praedicari), non tamen est concedendum eam de se et simpliciter dicere perfectionem talem ut, in quocumque individuo entis, melior sit ipsa, quam non ipsa, ita ut de Deo sit formaliter praedicanda, etiam praecisa Dei in rebus operatione. In hac enim hypothesis, videtur potius, cum S. Thoma, dicendum divinam essentiam esse omnino absolutam a quacumque relatione, etiam rationis¹, ad res finitas, speciatim corporeas et extensas. Cur enim talem habebit relationem, vel quaecumque aliam relationem, ad res cum quibus nil commune habet in ullo genere, et a quibus potius infinite distat in perfectione?

Nec melius videtur appellari ad divinam immensitatem; quia divina immensitas dicit quidem Deum esse incircumscribibilem et indefinibilem a loco vel spatio; dicit praeterea, Deum, si sit in loco vel spatio, ibi fore profecto modo immenso, i. e., incircumscripse et indefinite; — sed non dicit, oportere ut divina essentia eo ipso sit in loco vel spatio, si, per impossibile, loca et spatia supponantur esse independentem a divina operatione et conservatione.

Redit enim tunc quaestio supra tacta, an divina natura debeat necne concipi ut omnino absoluta ab omni alia re, et speciatim a loco et spatio, quae extensionem important. Talis immensitatis conceptio, qua divina natura dicatur esse, per se et actu, omni loco et spatio praesens, etiam quando loca et spatia non nisi ut entia rationis concipiuntur, ut conceptio minus digna Deo sapientissimis

¹ Rationis relatio quam concipimus inter Deum et creaturas fundatur in relatione reali creaturarum ad Deum, et haec rursus fundatur in divina causalitate, qua res omnes a Deo originem ducunt. In hypothesis autem quod Deus non esset causa rerum, removetur tale fundamentum. Ergo nulla esset rationis relatio Dei ad creaturas, in tali hypothesis.

doctoribus visa fuit. Et ea fuit certe Summo Aquinati invisā, non solum quia ea numquam usus fuit, sed etiam quia eam positive excludit. «Essentia Eius (Dei), cum sit absoluta ab omni creatura, non est in creatura nisi in quantum applicatur sibi per operationem», — et rursus «spiritualis substantia quae omnino absoluta a situ et quantitate est, . . . non est in loco nisi per operationem».

Ex dictis igitur videtur sequi, quod supra affirmavimus: Si argumenti metaphysici vis probativa negetur, vix, et forte ne vix quidem, supererit ullum certum argumentum quo divina omnipraesentia et ubiquitas per rationem demonstretur; quod certe non est parum inconveniēns. Et haec certe fuit sententia Scoti. En eius verba: «Non videtur mihi quod possit demonstrative probari Deum esse ubique per essentiam, sed ipsum tantum est mihi creditum, et non probatum». *Reportata Parisiensia*, l. 1, dist. 37, q. 2, schol. 2. Haec etiam videtur fuisse conclusio doctissimi Toleti. Hic enim, cum aperte fateatur se a Divi Thomae sententia dissentire, et cum Scoto tenere, non posse divinam omnipraesentiam et ubiquitatem ex immediata Dei operatione probari, tandem, logica coactus necessitate, concludit: «ubiquitatem fide constare. Ex immensitate (autem) Dei essentiae provenit, ut nihil extra se, nec loci, nec rei, relinquat, sed in cunctis inveniatur praesens; nec est alia causa cui id adscribi possit. Hoc contenti simus quod fides docet, nec naturae repugnat» (*Enarratio in I P. Summ. Theol.*, q. 8, a. 1).

7. SCHOLIUM. Contraria de divina immensitate opinio magis intime consideratur. — Supponunt ergo multi et graves AA., divinam immensitatem importare, non solum actualem divinae substantiae praesentiam in omnibus rebus et locis actualibus, sed etiam praesentiam quamdam, intransitivam et absolutam, actualem tamen, in infinitis spatiis imaginariis, qua Deus concipiatur quasi in infinitum diffusus, et replens omnia illa spatia, in quibus indefiniti mundi creari et collocari possunt, ita ut sit totus in toto et totus in singulis partibus illius spatii. Et addunt hanc esse quasi conditionem praerequisitam ex parte Dei ut, posita existentia creaturarum, Deus illico et sine ulla sui mutatione, sit eis intime praesens, etiamsi nihil in eis operaretur.

Haec divinae immensitatis conceptio non est nisi applicatio illius sententiae, quam supra (n. 3) consideravimus, qua dicitur omnem sub-

stantiam, sive materialem, sive spiritualem, esse necessario in loco intrinseco, finitam quidem in loco finito, infinitam vero in loco vel spatio infinito. Ex quo etiam sequitur praesentiae divisio, in transitivam seu per denominationem extrinsecam a termino seu loco extrinseco; et intransitivam seu absolutam, quae tota sumitur a perfectione rei intrinseca, quae sit vel modus accidentalis, si substantia est finita, vel, si de Deo sit sermo, sit ipsum attributum divinae substantiae, quod immensitas nominatur.

Sunt autem quaedam gravissima inconvenientia quae, in hac conceptione, in oculis omnium incidere videntur.

1. Praesentia enim, ex suo proprio conceptu, videtur importare habitudinem quamdam immediati contactus ad terminum cui res dicitur praesens, et sicuti ibi loquimur de physica praesentia, non de intentionali, quae per conscientiam sui habetur, ideo actualis praesentia nequit intelligi nisi per ordinem ad actualem et extrinsecum terminum¹. Ergo videtur quid minus rationi consonum, loqui de divina praesentia, actuali quidem, et tamen absoluta et intransitiva. — Nec valet addere, hanc praesentiam debere intelligi per modum conditionis praerequisitae ad transitivam praesentiam; quia adhuc hoc est verbis abuti, in re gravissima: quatenus illud quod supponitur ut conditio ad transitivam praesentiam (quae unice est intelligibilis), appellatur actualis praesentia, et quidem maxime talis; ut cum dicunt divinam naturam esse praesentissimam spatio absoluto. Ceterum illa praerequisita conditio non videtur posse admitti, ut iam supra notavimus, et rursus dicemus.

2. Deinde est inconveniens in eo quod divina immensitas explicatur per actualem quasi praesentiam infinito cuidam spatio, quod in se non sit nisi ens rationis; etiamsi addatur hoc fieri, quia illa apprehensio aut imaginatio nobis est utilis ac fere necessaria ad declarandam divinam immensitatem. Hoc, dico, est inconveniens, quia tandem aliquando, etiam in hac sententia, actualis divina praesentia declaratur per ordinem ad terminum qui, qua talis, non solum non est actualis, sed nec stricte possibilis, ut est per se manifestum. Nec quis

¹ Haec mihi videtur explicita D. Thomae doctrina. — « Cum dicitur, Deus est ubique, importatur quaedam relatio Dei ad creaturam fundata super aliquam operationem per quam Deus in rebus dicitur esse. Omnis autem relatio quae fundatur super aliquam operationem in creaturas procedentem, non dicitur de Deo nisi ex tempore, sicut Dominus et Creator et huiusmodi quia huiusmodi relationes actuales sunt et exigunt actu esse utrumque extremorum ». *In I Sent.*, d. 37, q. 2, a. 3.

facile credet, divinam immensitatem, aut quodlibet divinum attributum, esse talis naturae, ut exigit a nobis explicari per aliquid impossibile. Certe hoc non contingit in quolibet alio divino attributo.

3. Postremo, maximum inconueniens in eo cernitur, quod divina substantia, quae in summo est gradu immaterialitatis et simplicitatis, et est praeterea omnino absoluta, et transcendens omne praedicamentum, non solum entis extensi, sed etiam creati, tamen exhibetur quasi per se et necessario ita actu connexa cum loco et spatio (quae in suo conceptu extensionem et diffusionem important), ut dicatur infinito spatio ita esse praesens, illudque implere, ac si ipsi esset coextensa! « Si enim, aiunt, Deus ante creationem non fuisset iam praesens in tota illa parte spatii imaginarii, in qua nunc est mundus, Deus debuisset mutari, ut ibi posset praesens fieri. Et quod valet de una parte spatii, valet etiam de toto infinito spatio; quia quocumque mundo creato, semper potest Deus alios et alios sine fine mundos creare ». — Iamvero haec conceptio tam parum consentanea divinae perfectioni videtur, ut, hac sola ratione, merito reiicienda videatur; et verba ipsius Suarezii, de divina libertate scripta, apte possent ibi adhiberi: « in eiusmodi rebus id de Deo esse credendum, quod ineffabili eius perfectioni magis sit consentaneum, quodque ab omni imperfectione alienum sit, etiamsi modum quo id Deo conveniat non assequamur ». (*Metaph. Disp. 30, sect. 9, n. 35*).

Periculum autem divinae mutationis nullum datur in nostra sententia; quia « Quum Deus creat, sicut ipse non mutatur, sed creatura quae non erat, incipit esse, sic non ipse pergit in creaturam quam producit; sed per actionem suam facit substantiae suae creaturam praesentem. ' In ipso enim vivimus, movemur et sumus '. Nec necesse est profecto ipsum esse in spatio aut loco, ut sibi vi operationis suae faciat rem aliquam a se distinctam praesentem. Ne quaeso, imaginationi philosophando indulgeamus. Si natura creata a Deo est spiritus, Deus est illi praesens, sed non est in loco et spatio, quia deest locus et spatium. Si est corpus, Deus est illi praesens et est in spatio, quia producta creatura quanta, exurgit spatium reale ». Ita sapienter cl. Remer (*Theol. Nat., n. 63, ad obi. 5*).

Nec iuvat dicere hanc divinae substantiae extensionem et quasi diffusionem non esse formalem, sed virtuales, quae nullam importat imperfectionem. Quia virtualis extensio potest dupliciter intelligi; nempe, vel ut in actu secundo, vel ut in actu primo tantum. Erit in actu secundo, quando substantia spiritualis, eo quod sit in extenso, vel per informationem (ut anima rationalis in corpore), vel per con-

tactum virtutis operativae (ut de angelis tenemus), dicitur esse tota in toto, et tota in singulis partibus corporis, et sic, ratione formalis et actualis extensionis in qua est, et ipsa dicitur, quodammodo, seu virtualiter, extensa. Erit autem quasi in actu primo virtualiter extensa substantia spiritualis, quae cum in nullo sit extenso, consequenter etiam nequit concipi quasi tota in toto, et tota in singulis partibus extensi, et sic, hoc sensu, nequit dici quasi in actu secundo virtualiter extensa. Potest autem, et debet, dici quasi in actu primo talis; quia semper retinet proximam suam capacitatem, ut talem exhibeat praesentiam, posita unione cum extenso¹. Atqui, in casu, divina immensitas, ante mundi creationem, non solum concipitur quasi cum proxima illa capacitatem, ut sine ulla sui mutatione, possit exhibere actuale suam praesentiam in omnibus extensis, vix ac creantur; sed ita concipitur, ut ipsa iam sit quasi in actu secundo virtualiter coextensa et diffusa in infinito illo spatio; etsi de facto, spatium illud, utpote mere ens rationis, nec est actuale extensum, nec stricte possibile. Ex quo fit, ut tandem tota actualis extensio, si quae datur ac concipitur, in hac hypothese, inveniatur ex parte solius divinae substantiae; quod, ut dixi, non solum ut rationi minus consentaneum videtur, sed ut minus dignum Deo.

Ceterum nullo solido videtur inniti fundamento, ut iam patebit ex solutione argumentorum.

1° En *principale argumentum*. Deus potest operari extra mundum, sine ulla mutatione sui; ergo iam actu est extra mundum. Consequentia probatur, quia rem esse ubi operatur, non est denominatio extrinseca

¹ Non enim, ut puto, est imaginandum, animam rationalem, a corpore separatam, esse ita virtualiter extensam, ut sit in tanto spatio imaginario quod respondeat reali extensioni corporis quod, ante mortem, informabat. Cur enim hoc exigeretur? Anne, ex eo quod quis moritur in pueritia, eius anima erit restricta ad parvum illud imaginarium spatium, quod respondeat parvo corpori pueri? nisi forte dicatur, facta separatione, animam illico, vel successive, crescere ad plenam hominis staturam! Et de angelis, dicunt isti auctores, quod etsi possint esse in puncto indivisibili spatii imaginarii, tamen possunt etiam, si velint, occupare maius spatium. — Sed si angeli, natura sua, sunt in spatio, videtur quod natura debeat etiam determinare quantum spatii. Et cum angeli invicem differant in perfectione naturae, sic unicuique, pro gradu suae perfectionis, conveniet tantum et tantum spatii; ita tamen ut non sint immobiles in uno loco, sed sese movere, et quasi volare possint ab uno in alium locum. Hanc conceptionem non putamus cum recta philosophandi ratione congruere.

resultans ex operatione, aut termino eius, sed potius est aliqua proprietas, vel conditio praerequisita ex parte causae; ergo non posset haec denuo convenire Deo, sine sui mutatione.

R. — C. Antec., et N. Consequens et Consequentiam, eiusque probationem; quia 1° solum agentia corporea sunt proprie ubi operantur, cum eis tantum per se competat esse in loco. Contra, si unus angelus operaretur in alium angelum, tamen non sequeretur eum esse *ubi* operatur. Et Deus continuo operatur in omnes angelos, et tamen ex hoc non sequitur Deum esse ubi sunt angeli, quia angeli per se nusquam sunt. Si vero spiritus operatur in corpus, est certe in corpore, non tamen ipse per se est in loco, sed solum per accidens, quatenus corpus ipsum est in loco. 2° Cum asseritur « rem esse ubi operatur, non est denominatio extrinseca resultans ex operatione aut termino eius, sed potius praerequisitum ex parte causae »; hoc conceditur quoad agentia corporea, sed negatur quoad agentia spiritualia, ut saepe notavimus.

2° *Prima confirmatio principalis argumenti.* Ante ascensionem Christi, non erat corpus aliquid extra ultimam spheram; per ascensionem autem factum est ut Christi corpus sit supra illam spheram, replens illud spatium quod antea non replebatur corpore. Nunc ergo etiam est ibi praesens Deus; ergo et ante, ex tota aeternitate; ergo, eadem ratione est extra caelum, in omnibus spatiis quae in infinitum ibi excogitari possunt. Penultima consequentia declaratur; nam si antea Deus non esset ibi praesens, non potuisset ibi esse praesens sine sui mutatione; sicut Christi corpus non potuit incipere esse ibi praesens sine aliqua mutatione. Est enim quoad hoc eadem ratio; nam, sicut corpus Christi non dicitur ibi praesens per denominationem a substantia Dei, sed per aliquid quod est in ipso, ita etiam substantia Dei non dicitur ibi esse praesens per denominationem a corpore Christi, ut videtur per se evidens.

R. — Cum Christus ascendit in caelum, Deus semper fuit cum eo, quia Deus, sine sui mutatione, operatur in omnibus quae sunt, et ubicumque sunt. Nec ex eo quod corpus Christi non potuit, sine motu, novam in caelo acquirere praesentiam, sequitur idem dicendum esse de Deo, ut per se patet. Et quamvis corpus Christi non dicatur in caelo praesens per denominationem a substantia Dei, tamen Deus non dicitur ibi esse praesens nisi per denominationem a corpore Christi. Et ratio est quia, ut iam saepe diximus, corpora non sunt in loco, aut corpori praesentia, per operationem in eo, sed per suam quantitatem. Contra spiritus non sunt in loco vel corpore nisi per contactum virtutis. Et si quis contrarium dicit, mihi videtur dicendus confundere rerum ordines essentialiter diversos.

Dices: ex doctrina fidei, et naturali ratione, negari nequit Deum esse extra mundum, si per hoc intelligatur solum realis Dei praesentia, sine relatione ad rem ullam.

R. — Puto doctrinam fidei hanc esse: Deum esse immensum, et esse rebus omnibus intime praesentem, ac ubique, primo per se, ut dicit D. Thomas, cui certe doctrina fidei erat valde bene nota. Ipse tamen, quantum scio, nunquam docuit Deum esse actu praesentem in spatiis imaginariis, praesentia quadam intransitiva et absoluta.

Instabis. Atqui, de facto, D. Thomas videtur huic nostrae sententiae favere. Dicit enim in *Quodl. 11*, a. 1: « Deus non solum est in illis quae sunt..., sed etiam in illis quae possunt imaginari esse ».

R. — Concedo testimonium, sed nego eius interpretationem. En totum testimonium: « Respondeo dicendum quod spiritualia dicuntur esse in loco, non quidem per contactum quantitativum, sed virtutis; et ideo secundum rationem virtutis cuiuslibet rei spiritualis, oportet nos loqui de loco in quo est. Virtus autem Dei est infinita; quae quidem infinitas apparet quantum ad duo. Primo, quia non solum excedit creaturas quae sunt, fuerunt et erunt; sed etiam omnes quae possunt imaginari. Ergo Deus non solum est in illis quae sunt, fuerunt et erunt; sed etiam in illis quae possunt imaginari esse. Secundo... ». Iamvero, nota, 1° ibi Angelicus tenet constantem suam doctrinam de modo quo substantia spiritualis dicitur esse in loco, nempe per contactum virtutis. Contra adversarii concipiunt hanc praesentiam ut independentem a contactu virtutis, et a quocumque contactu, utpote quae est intransitiva et absoluta, et praerequisita ad talem contactum. Ergo praesentia de qua hic loquitur Angelicus, non est illa de qua loquuntur adversarii. 2° Angelicus ibi non loquitur de spatio imaginario, quod sit ens rationis, sed de creaturis illis quae possunt imaginari esse. Atqui, ut puto, creaturae quae possunt imaginari esse, non sunt entia rationis, sed aut existentes, aut saltem possibiles; et puto spatium supradictum, cum illis praedicatis quae ei attribuuntur, non esse stricte quid imaginabile, etsi passim imaginarium dicatur. Entia rationis ideo talia dicuntur, quia, qua talia, nequeunt esse nisi in ratione, tamquam in subiecto. Imaginatio autem non est Ratio. 3° Angelicus ibi non dicit, Deum esse *actu* praesentem in creaturis, quae possunt imaginari esse, sed tantum dicit, Deum *esse* in eis. Atqui hoc, ex doctrina D. Thomae, bene potest et debet intelligi quatenus Deus non est sic definitus in sua praesentia in creaturis existentibus, ut non *possit*, immo non debeat necessario esse in quibuscumque aliis, si

crearentur. Ergo nihil apparet, in hoc D. Thomae testimonio, quod adversariorum sententiae vel minimum favere possit.

3° *Confirmatur* secundo eadem res, ex mundo possibili. Nam posset Deus ita creare alium mundum extra hunc, ut non se contingerent, sed essent disiuncti et distantes; tunc ergo esset Deus in utroque mundo; ergo in spatio interiecto. Quia non possunt intelligi in Deo illae duae praesentiae in duobus mundis tamquam discretae et distantes. Si enim unus angelus non potest esse in duobus locis discretis, nisi aliquo modo sit praesens medio spatio, quomodo potest id tribui Deo, qui omnino est immutabilis, et maxime unus et simplex?

R. — Facta illa hypothesi, Deus certe esset in utroque mundo, et tamen non esset in vacuo interiecto. Ratio autem allata, quod nempe « non possunt intelligi in Deo illae duae praesentiae in duobus mundis tamquam discretae et distantes »; haec ratio, inquam, nihil valet. Negatur enim suppositum, quod hoc sequeretur, in casu. Supponitur enim, in casu, quod sicuti unus mundus ab alio distat, sic Deus (nisi esset praesens vacuo interiecto) ut praesens uni mundo, a seipso distaret, ut alteri mundo praesens. Sed, salva reverentia tantis auctoritatibus, hoc minime sequi videtur, nisi quis imaginationi indulgere velit. Ut enim supra diximus, ad rationem dimensionis distantiae requiritur ut sint duae substantiae extensae, quae ambae sint in loco, ratione et per modum extensionis. Atqui certe Deus non est substantia extensa, nec est in loco per modum extensionis. Ergo...

Nec melius valet quod de angelo additur. Quamvis enim angelus nequeat esse simul in pluribus locis sibi adaequatis (quae nempe singula respondeant adaequatae suae virtuti), tamen virtus angelica non est restricta ad unum quasi punctum, sed potest, pro lubitu, suam virtutem applicare ad corpus minus, vel maius, et etiam ad plura simul corpora, etiam invicem distantia, puta ad totam aliquam civitatem, ita « quod totum illud, cui immediate applicatur virtus angeli, reputatur ut unus locus eius, licet non sit continuum », ait Angelicus (I P., q. 52, a. 2). — Et rursus, nobis videtur esse quaedam imaginationis deceptio, si quis supponit, ut supra, quod nisi sit angelus aliquo modo in medio interiecto inter diversa corpora, iam a seipso distaret.

4° *Confirmatur* postremo idem ex Dei aeternitate: quia, ita comparatur Deus per immensitatem suam ad corpora, sicut per aeternitatem ad tempora. Sicut ergo aeternitas est *in* omnibus finitis temporibus, et infinite excedit illa, ita immensitas est in omnibus finitis locis, et infinite superat illa. Et sicut Dei aeternitas comprehendi non potest finitis temporibus, sed est etiam extra illa, id est, ante illa et

post illa, ita etiam se habet immensitas ad finita loca. Et sicuti vere dicitur Deus exstitisse, ante reale tempus, *in* omni tempore imaginario (quod tamen non fingitur esse reale, aut Deum esse in illo per aliquam realem habitudinem), ita proportionaliter dicendum de immensitate, in ordine ad spatia imaginaria (cfr. Suar., *Metaph. Disp. 30*, sect. 7).

R. — Sed haec analogia, maiori forte iure, potest invocari in favorem nostrae sententiae. Nam tempus non est nisi motus, aut in motu, prout in eo consideratur ratio mensurae durationis alterius motus; sicuti spatium et locus non sunt nisi trina dimensio, prout in ea consideratur capacitas ad mensurandum alia extensa, per continentiam seu circumscriptionem eorum. Et ideo, cum motus non sit nisi in re mobili (sicuti etiam dimensiones non sunt nisi in re materiali), sic nulla res dicitur proprie *esse in tempore*, nisi vel motus ipse, vel res quae motui subiicitur, et ab eo in sua duratione mensuratur; sicut etiam, ut vidimus, nulla res proprie dicitur esse in loco vel spatio, nisi ipsa extensio, vel substantia, per suam extensionem.

Ex quo immediate sequitur, nullam substantiam spiritualem, nec finitam, nec infinitam, posse proprie esse *in tempore*, sicut nec potest esse in loco vel spatio. Tamen, sicuti substantia spiritualis, pro eo quod immediata sua actione in res corporeas operatur, cum eis intime coniungitur, estque eis praesens per contactum virtutis, et sic consequenter est in loco quodammodo et aequivoce; sic, ut mihi videtur, talis substantia potest, quodammodo et improprie, dici esse in tempore, pro eo nempe quod est in re temporanea. *Sublata ergo Dei operatione in res temporaneas*, Deus esset aequae aeternus, et tamen nullo modo, neque improprie, esset in tempore. Aliis verbis, in hac hypothese, esset aeternitas (quae est immutabilis vita Dei) et esset tempus (quod non datur sine rebus mobilibus), sed aeternitas non esset ullo modo actu *in tempore*, sive reali, sive possibili, sive imaginario; quia nullo modo Deus esset *in* rebus mobilibus seu temporaneis. Haec mihi videntur clara, et logice sequi ex naturis rerum¹.

¹ Dices: Corpus utique nequit esse in loco localiter, nisi per contactum quantitativum. Posset tamen esse in loco, per se et immediate, etsi privaretur quantitate, per praesentiam substantialem, sine ullo contactu, sive quantitatis, sive virtutis, sed per contactum penetrativum duarum substantiarum. Et sic angelus facile concipitur esse intime ac penetrative in corpore, etsi nihil agat in illud. Et nominatim Deus operatur in omnibus, quaquaversus permeando ac pervadendo illa, sine ulla mixtione ac physica unione. Et haec sola intima substantialis praesentia, distincta ab operatione, et quodammodo

8. Sed pressius iam consideremus S.Thomae principium: « Oportet omne agens coniungi ei in quod immediate agit, et sua virtute illud contingere ». Principium hoc, sub tanta universalitate positum, videtur ut per se evidens ab Angelico proponi; nunquam enim, quantum scio, nititur illud probare. Citat quidem Aristotelis auctoritatem, *VII Phys.*: sed Aristoteles in citato loco, et alibi, non agit nisi de motu in triplici praedicamento, et assertum suum non probat nisi per inductionem. Unde quaeri potest: estne hoc principium revera per se evidens? Hoc videtur dicendum. Agens enim est formaliter et actu agens per suam actionem; actio autem procedit a virtute agentis. Iamvero:

A) vel est quaestio de Primo Agente, cuius actio, etsi virtualiter transiens, est tamen formaliter immanens, et cuius virtus, sicuti actio ipsa, est sua substantia, et cuius agere habet pro formali objecto ipsam absolutam rationem entis facti ut sic; — et tunc capitur, tale Agens, cum immediate producat effectum, illum-

natura prior illa (quia prius concipitur esse quam operari), sufficit, ex parte Dei, ad fundandam rationem praesentiae ad creaturam, statim atque haec existat. Ita multi ex recentioribus (cfr. URRABURU, *Theol. Nat.*, vol. I, n. 160).

Ut patet, sermo ibi est de famosa illa, quam vocant, substantiali praesentia, qua formaliter substantia quaelibet, sive corporea, sive incorporea, sive finita sive infinita, per se habet ut dicatur substantialiter et intime praesens alteri substantiae vel loco, in signo priori ad omnem contactum, sive quantitativum, sive virtutis, cum re vel loco: cum hac tamen duplici differentia: 1^o Quod, si existat terminus cui res sit praesens, haec praesentia est quasi transitiva; si vero terminus desit, remanet praesentia quasi intransitiva; 2^o Si substantia sit finita, eius praesentia erit necessario finita; contra vero si substantia sit infinita.

Sed haec sententia evidenter supponit duo: 1^o Corpoream substantiam, per se, et praecisione facta a quantitate, hoc habere ut indifferenter possit, per suam extensionem entitativam qua gaudet, vel esse in puncto indivisibili loci, vel compenetrative coextendi cum substantia quanta, et determinato loco. Atqui hoc, ut minimum dicam, est valde difficile captu, etiam praescindendo a questione de formali effectum quantitatis. Non enim facile capitur quomodo eadem substantia possit indifferenter se habere ad duplicem essendi modum tam diversum, qualis est esse, secundum omnes suas partes entitativas, in puncto indivisibili loci, et esse coextensam cum loco, vel substantia extensa; ne quid dicam de alio inconvenienti, in hoc sito quod incompenetrabilitas explicatur, non per ipsam extensionem, sed per vim resistivam, quae est in genere qualitatis. 2^o Alterum quod supponit haec sen-

que conservet quousque durat, esse etiam tota sua substantia ei coniunctum et intime praesens. Dicere, tale Agens posse effectum a se distantem producere, non videtur, admissis quae antea diximus, bene concipi posse. Si enim effectus a Deo productus sit substantia spiritualis, puta Angelus, qualis, quaeso, erit distantia dimensiva, inter Deum et angelum? Si vero effectus sit corpus extensum, qualis rursus erit distantia inter Deum simplicissimum, et extensum illud? Nonne ad relationem dimensivae distantiae duo postulantur termini extensi? Dicere autem, tale Agens, etsi per se et immediate producat suum effectum, tamen non plus habere cum eo praesentiae rationem, quam cum re quam non producit, videtur idem ac negare veram et immediatam eius causalitatem. Et ratio est quia, sublata consideratione distantiae, iam non remanet nisi ratio immediatae causalitatis, seu originis effectus a sua causa. Atqui videtur impossibile cogitare effectum immediate oriri a causa, ab eaque in esse immediate conservari, et tamen huic causae im-

tentia, est, quod omni substantiae spirituali per se competit extensio illa virtualis in actu secundo, quam supra consideravimus; atque ideo iisdem subiicitur inconvenientiis quibus virtualis illa extensio sic intellecta, laborat. Praeterea Card. Caietanus, post diligentem inquisitionem, dicit eam carere fundamento, ideoque non esse intelligibilem, sed fictam. Confer, si lubet ipsum Caietanum *in I P.*, q. 52, a. 1, n. VII seq.

Post ea quae a nobis hucusque disputata sunt, sufficiat haec duo notare: 1° Cum aliquid dicitur alicui praesens, oportet distinguere *id quod* denominatur praesens; hoc enim, proprie, est ipsa tota substantia; et *id quo* aliquid denominatur praesens, et hoc, secundum nos, nunquam est ipsa substantia, sed aliquis contactus, vel quantitativus, vel virtutis. 2° Ex eo quod cum corpus est in loco, est ibi circumscriptive et definitive, putant AA. isti quod duplex sit ibi fundamentum, scil. quantitas, pro praesentia circumscriptiva, et substantia finita, pro praesentia definitiva. Sed haec imaginatio, ait Caietanus, in falso fundatur; quia, in casu, est unum fundamentum, scil. quantitas, per quam substantia habet ut sit in loco, circumscriptive simul et definitive. Et ex hoc ulterius sequitur res magni momenti quod, sicuti haec aqua, e. gr., secluso colore, implicat contradictionem quod sit visibilis, — ita, seclusa quantitate, quod sit locabilis. Et hoc loquendo, ut modo loquimur, de substantia, seclusa omni virtute, activa et passiva quocumque modo. Et sic positio illa est impossibilis simpliciter (*ibid.*, n. IX). Quodsi haec positio est impossibilis quoad substantiam corpoream, remota quantitate, recta ratio postulat ut multo magis hoc credatur de substantia spirituali, speciatim divina.

mediate non coniungi. Ergo denegare hanc unionem et quasi contactum, videretur idem esse ac negare causalitatem.

Dices: si ita est, tunc rem immediate producere, eique esse immediate coniunctum, essent unum idemque.

R. — Concedo, nisi quod ibi intercedit illa distinctio quae inter effectum formalem et suam quasi causam formalem numeratur. Et ideo non puto hoc principium posse stricte probari. Et forte haec est etiam ratio cur Angelicus, quantum scio, nunquam conatus fuit illud probare; debet simpliciter admitti, non solum ut communi hominum sensui valde consentaneum, sed etiam ut per se evidens, ex immediata significatione terminorum¹.

Ex his sequitur, Deum creando et conservando angelos, eos reddere sibi intime praesentes. Secundum autem quod Deus est in angelis, adhuc dici nequit esse alicubi, ut patet. Prout vero Deus creat et conservat loca et corpora locata, dicitur esse in loco et ubique, duplici illo sensu ab Angelico notato (I, q. 8, a. 2).

B) Si vero agamus de angelorum operatione in corpora, idem principium valere videtur. Nobis enim non apparet quomodo intelligi possit quod quidam dixerunt, angelos agere in corpora a se distantia. Quod si angeli sua virtute immediate producant in corporibus aliquem effectum, puta motum localem, tunc recte inferimus eos esse, contactu virtutis, intime praesentes his corporibus, et sic, per accidens, esse in locis ubi corpora ipsa sunt locata².

¹ P. Remer sic declarat hoc S. Thomae principium: 1. Necessse est ut agenti insit virtus activa; ut enim repugnat quod aliquid sit per esse ei non intrinsecum, sic repugnat quod sit potens agere per aliquid quod ei non inest. 2. Virtus activa debet esse coniuncta actioni; quia actio est qua virtus activa est actu causans; sed fieri nequit ut aliquid fiat actu causans, per aliquid sibi non coniunctum. 3. Actio vero debet esse coniuncta effectui; nam illud quo aliquid vere mutatur de non esse ad esse, debet esse intrinsecum ei, secus falso diceretur mutari. Sed illud quo aliquid mutatur a non esse ad esse est actio agentis; nullum enim potest esse, saltem secundum idem, movens et motum; ergo... Ergo ipsum agens debet esse coniunctum effectui. Et haec necessitas valet pro omni effectui, et pro omni causa agente » (*Ontol.*, n. 233).

² De contactu hoc spirituali seu virtutis, quid sit intelligendum non convenit inter auctores, ut videre est apud Calet. *in I P.*, q. 52, a. 1. Nec mirum hoc esse debet, si mente teneamus, quam remota haec sint ab obiecto proprio humani intellectus. Iuvat tamen referre quae Angelicus, hac in re,

C) Loquendo nunc de actione corporum in corpora, hoc idem valere principium dicendum videtur, modo recte applicetur ad subiectam materiam. Nam, ex doctrina communi, omnis actio corporea exercetur cum aliquo motu locali. Constat autem inductione sat universali, nullum corpus localiter ab alio moveri, nisi per immediatum contactum quantitativum.

Et ratio a priori haec esse videtur; quia, nempe, virtus motiva corporis, omnisque corporea virtus, sicuti in esse, sic et in operari, a materia et materialibus pendet conditionibus. Aliunde, cum substantia corporea, ratione quantitatis, sit in loco localiter et definitive, ideoque totaliter restricta ad proprium locum in quo est, sic et eius virtus et virtutis operatio oportet sit restricta ad tale locum in quo substantia est, ita ut nullo modo extendi possit ad distans locum vel corpus. Hoc, ut opinor, facile ab omnibus admitti debet. Operari enim sequitur esse. Modo, transmissa quaestione de agente spirituali, cuius potentia executiva ad extra non nisi ratione differt ab intellectu et voluntate, in sententia S. Thomae, res videtur manifesta de virtute materialis agentis. Haec

optime notat: «Sicut corpus est in loco per contactum dimensionis quantitatis, ita angelus est in loco per contactum virtutis. Si quis autem velit virtutis contactum operationem vocare, propter hoc quod operari est proprius effectus virtutis, dicatur quod angelus est in loco per operationem, ita tamen quod per operationem non intelligatur sola motio, sed quaecumque unio, qua sua virtute se corpori unit, praesidendo, vel continendo, vel quocumque alio modo» (*Quodl. 1, a. 4*). Ceterum, etsi forte nemo sit qui possit cum satisfactione explicare quomodo in particulari haec fiant, tamen in genere affirmari posse videtur cum veritate, nulli substantiae spirituali convenire posse esse in corpore, et consequenter in loco, nisi vel informando corpus (ut de anima rationali tenemus), vel per operationem vel contactum virtutis ei uniatur. Et haec valent de connaturali modo quo substantiae spirituales esse possunt in corpore et loco. Si enim loquamur de modo supernaturali, certe non est negandum alia esse media, nobis omnino impervia, quibus, per divinam virtutem, haec unio fiat. Apposite rursus Angelicus, loquens de modo quo substantiae incorporeae patiantur ab igne corporeo (*C. Gent., l. IV, c. 90*): «Patiantur igitur ab igne corporeo substantiae incorporeae per modum alligationis cuiusdam. Possunt enim alligari spiritus corporibus vel per modum formae, sicut anima corpori humano alligatur, ut det ei vitam; vel etiam absque hoc quod sit eius forma, sicut necromantici, virtute daemonum, spiritus alligant imaginibus, aut huiusmodi rebus. Multo igitur magis virtute divina spiritus damnandi igni corporeo alligari possunt».

enim virtus nullo modo concipi potest ut operativa in distans, nisi in suo operandi modo, distantiam transcendat. Atqui impossibile videtur, virtutem tanta pollere perfectione in operando, quae in essendo est coarctata ad determinatum locum.

Et cum ibi loquamur de actione formaliter transeunte, omnino requiritur ut agens, per suam actionem, contingat passum. Omne enim quod fit in passo, educitur de potentia subiecti, per actionem exterioris agentis; quod tamen intelligi nequit, nisi agens, per suam actionem, contingat passum, ipsumque disponat ad novam formam. Atqui hic contactus, cum est quaestio de actione virtutis materialis, quae in esse pendet a quanto, non potest intelligi nisi quantitativus contactus agentis in passum; vel, quod ad idem recidit, « agens debet esse contiguum passo ».

Et haec quae diximus, etsi forte evidentiosem habeant applicationem in communiore sententia, quae tenet actionem esse in passo, tamquam in subiecto, tamen verificantur etiam in alia sententia quae dicit actionem esse in agente, passionem vero in passo. Ratio est quia, nisi admittatur contactus praedictus quantitativus, non apparet quomodo ex virtute et actione agentis passio ipsa, vel effectus ullus, in passo produci possit. In casu enim valet dictum: « Virtus non agit ubi non est »; cum ibi sermo sit de virtute, tum in esse, tum in operari, ad determinatum coarctata locum. Nisi ergo talis virtus, per immediatum quantitativum contactum, contingeret passum, profecto ipsa ageret ubi non est.

Concludamus igitur: ex natura actionis et virtutis operativae ad extra in genere, et ex natura actionis et virtutis operativae corporeae in specie, recte videtur a priori concludi universale S. Thomae principium: « Oportet omne agens coniungi ei in quod agit, et sua virtute illud contingere ».

9. Restat ut aliquid dicamus de exceptionibus quae saepe fiunt contra hoc argumentum, sub diversa forma propositum.

Quamvis autem istae formae, et consequenter etiam exceptiones in contrarium, sint multiplices et diversae, tamen omnes, ut puto, facile ad tres illas reduci possunt, sub quibus hoc a priori argumentum fuit a cl. P. De San in sua *Cosmologia* (nn. 282, 283, 284) ad trutinam diligenter revocatum.

Sed concesso quod revera locus detur praedictis exceptionibus, si nempe argumentum taliter, et sine additis, proponatur; tamen ex hoc non sequitur, has esse solas vias illud proponendi. Immo, si quis attente nostrae argumentationis processum perpendat, videbit, ni fallor, in eo, 1° nec probari idem per idem, nec assumi quod erat probandum; id est, necessitas contactus quantitativi, ut praerequisitum ad actionem, in agentibus corporeis, non assumitur, sed probatur (an legitime vel non, iudicent periti). 2° Nec fit aequivocatio in verbo « agere »; quasi accipiatur mere principiatiue, pro ipso virtutis influxu in passum; et ostenditur, sublato contactu quantitativo, nullum dari, nec dari posse, talem influxum seu actionem. 3° Ex quo demum sequitur, si nullus datur talis influxus, seu actio ut ab agente procedens, nihil profecto remanere quod vel diffundi per vacuum possit, vel sine diffusionem, per immediatam communicationem, in passum distans transmitti queat.

Atqui hae revera sunt tres illae famosae exceptiones quae contra hoc principium fere unice fiunt, quaeque, ut reor, causa sunt cur idem vel omnino reiiciatur, vel ut valde dubium existimetur, a modernis non paucis.

Difficultates alias alicuius momenti, in hac re, non inveni, modo accurate semper, ut initio notavi, duplex de agente corporeo et de spirituali quaestio distinguatur. Quod si, hac neglecta distinctione, verae locationis et distantiae ratio agenti spirituali non minus quam corporeo concedatur, tunc non est diffitendum totam hanc quaestionem ingentibus et pene insolubilibus sterni difficultatibus, ut in hac qualicumque disceptatione ostendere conatus sum, et ut mihi, et aliis (ut audivi) sive philosophiae, sive theologiae professoribus, dura experientia constat.

IOSEPHUS CHIANALE S. I.
